



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt in capite Quadragesimæ omnes publicæ poenitentes in ciuitatem  
veniant, & ante fores Ecclesiæ nudis pedibus, & cilicio induti, episcopo suo  
se representent. xxvi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



iuniis, vigiliis, & crebris orationibus. Caro enim læta trahit ad culpam: afflicta autem reducit ad veniam.

*De illis qui ieiunare non possunt, & non habent unde redimere possint. Cap. XXIII.*

**Q**ui ieiunare non potest & non habet unde redimat *Ex pœnitentiâ* & Psalmos nouit, pro vno die quem in pane & aqua *Bedæ presbyteri.* ieiunare debet tribus vicibus: Beati immaculari, vsque, Ad dominum cum tribularer decantet. Et sexies: Miserere mei Deus. Et septuagies prosternat se in terram, & per singulas genuflexiones, Pater noster decantet. Qui autem Psalmos nescit, pro vno die quem in pane & aqua ieiunare debet, centies prosternat se in terram, & per singulas genuflexiones, Pater noster dicat.

*De redemptione septem annorum. Cap. XXV.*

**I**tem alio modo, XII. triduanæ singulæ cum psalteriis *Ex pœnitentiâ Romano.* III. impletis, & cum palmatis, CCC. per singula psalteria excusant vnus anni pœnitentiam. Et vigintiquatuor biduanæ similiter, cum tres psalteriis impletis, & CCC. palmatis p singula psalteria, excusant duos annos, l XXV. psalmi cum totidem veniis per noctem, & cum palmatis, CCC. excusant biduanam. Centum psalmi cum veniis per noctem, & cum palmatis, CCC. excusant triduanam, CXX. missæ speciales, singulæ cum, III. psalteriis, & CCC. psalmatis excusant annum, centum solidi dati in eleemosynam annum excusant.

*Ne in capite quadragesimæ omnes publicæ pœnitentes in ciuitatem veniant, & ante fores Ecclesiæ nudis pedibus, & cilicio induti, episcopo suo se representent. Cap. XXVI.*

**I**n capite quadragesimæ omnes pœnitentes qui publicam *Ex cõcil. Agathen. cap. 9.* suscipiunt aut susceperunt pœnitentiam, ante fores Ecclesiæ se representent episcopo ciuitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram prostratis, reos se esse ipso habitu & vultu proclamantes. Ibi adesse debent decani, id est, archipresbyteri parochiarum, id est, presbyteri pœnitentium, qui eorum conuersationem diligenter inspicere debent, & secundum modum culpæ, pœnitentiâ per præfixos gradus iniugant. Post hæc in Ecclesiam eos introducat, & cum omni clero septem pœnitentiæ Psalmos in terram prostratus



D. BURCHARDI EPIS. VVORMAGI

cum lachrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens ab oratione, iuxta quod canones iubent, manus eis imponat, aquam benedictam super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu & crebris suspiriis eis denunciaret, quod sicut Adam proiectus est de paradiso, ita & ipsi ab Ecclesia pro peccatis abiiciuntur. Post hæc iubeat ministris ut eos extra ianuas Ecclesie expellant. Clerus verò prosequatur eos cum Responsorio: In sudore vultus tui vesceris pane, &c. ut videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremescant atque commotam, non parui pendant poenitentiam. In sacra autem domini ccena rursus ab eorum decanis, & eorum presbyteris, Ecclesie liminibus represententur.

*Ut poenitentes quando poenitentiam petunt, impositionem manuum consequantur. Cap. XXVII.*

*Ex eodẽ  
cap. 7.*

**P**oenitentes tempore quo poenitentiam petunt, impositionem manuum, & cilicium super capita à sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. Si aurea comas non deposuerint, aut vestimenta non mutauerint, abiciantur.

*Qua autoritate modus poenitentia peccata confitentibus imponi debeat. Cap. XXVIII.*

*Ex cõcil.  
Magunt.  
cap. 10.*

**M**odus tempusq; poenitentia peccata sua confitentibus, aut per antiquorum canonum institutionem, aut per sanctarum scripturarum autoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem probatam imponi debet à sacerdotibus. Nam qui peccatis grauib; leues quosdã & inusitatos imponunt poenitentia modos, consuunt pulillos secundum propheticum sermonem sub omni cubito manus, & facit cervicalia sub capite vniuersa aetatis ad capiendas animas, sed discretio seruanda est inter poenitentes publice, & absconse. Nam qui publice peccat, oportet ut publice miteretur poenitentia, & secundum ordinem canonum, promerito suo excommunicetur, & reconcilietur.

*Quod diuersitas culparum, diuersitatem faciat poenitentiarum. Cap. XXIX.*

*Ex dictis  
August.*

**D**iuersitas culparum, diuersitatem facit poenitentiarum. Nam & corporum medici, diuersa medicamentis